



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XIX. De Episcopis sive Presbyteris qui per pretium gradum & Ecclesiam
acquisierunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De Episcopis, sive Presbyteris, qui per pretium gradum & Ecclesiam acquisierunt.

CAP. XIX.

Sed quia in multis locis ab his qui per avaritiam terrenæ possessionis & ecclesiastici ordinis pretium dant ut terrenarum rerum sibi abundantiam inde acquirant, sæpe perjurium fit illis qui hoc scandalo decipiuntur, justum est ut illis qui hoc faciunt condicte vindicte retribuatur. Nam de talibus ita statutum est in canonibus.

In synodo Remensi cap. xx i. scriptum est: *Quicumque Presbyter per pretium gradum acquisierit, deponatur.* Ex Concilio Aurelianensi cap. x. *Vt nullus Presbyter ad introitum Ecclesie xenia det.* In Concilio Turonensi sive Mouguntinensi cap. xv. scriptum est: *Quicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omni modo deponatur; quoniam & ille contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur. Item & ille deponatur qui alium Presbyterum legitimè ad Ecclesiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque sibi totaliter vendicaverit. quod vitium latè diffusum, summo studio emendandum est. Itemque interdicendum videtur Clericis, sive laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & consensu Episcopi.*

Conc. Tur.
3. c. 15.
Conc. Mougunt. sub
Rhab c.
12.
Regino lib.
1. c. 138.
Vide Capitulare
Theodulfi
c. 16.

* * *